

tionem vi propria, (extra civitates scilicet inter eos, qui superiorem, adeoque communem dominum, non agnoscunt,) vel actione in foro intentata; aut ubi imperfectum sit, saltem probabilem rationem super alterius inhumanitate conquerendi: igitur non sufficit ad obligationem generandam, ut in uno sint principia obligationem producentia; sed in altero quoque requiruntur principia ad jus quærendum idonea. Citra jus enim obligationi respondens nulla intelligi potest obligatio. Et nihil debeo, si nemo jure à me poscere quid potest. Metus autem injustus in altero ponit vitium, quod ineptum ipsum reddit ad jus acquirendum. Quod vitium est injuria, quæ sanè id efficere non valet, ut per eam producat id, cui ipsa quam maxime repugnat. Cum enim lex naturæ jubeat præstare id, ad quod alteri jus est; absurdum utique videtur, per injuriam, hoc est factio legi naturali contrario, produci aliquid, cui ipsa lex naturalis firmitatem communicet, utque adeò ipsa ad sui destructionem inserviat. Dn. Pufendorf. III. 6. 10. & 12. Declarari isthæc possunt exemplo servorum, qui jure Civili neminem sibi obligare possunt. vid. l. 22. pr. D. de reg. Jur. Quæ quidem eorum inhabilitas ex dispositione legum civilium est, vid. l. 32. D. d. t. Jam si servus ab alio quid dari fieri vel stipulatus sit, nulla obligatio civilis in promittente est producta, licet ipse in se habuerit principia obligationem contrahentia, ideo, quia servus deficitur aptitudine ad jus quærendum. Enimverò perinde uti lex civilis servo obstat, quominus alium sibi obligare valeat, (Neque enim aliunde ista res deduci potest) dum eidem jus denegat obligationi alterius respondens; sic latroni lex naturalis, (vid. l. 206. d. t.) cujus neglectu vitium latro incurrit, injuriam scilicet, quæ cum jure (obligationi respondente) in eodem subiecto non subsistit. Generaliter enim quæ lex aliquid fieri vetat, eadem

dem